



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 6. Quinam sunt effectus Characteris?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

errore corrigi : Characterem tamen dominicum in ea agnosci potius quam improbari : quandoquidem , ipsum characterem multi lupi , & lupis insigunt. Hoc est iis qui cum prava dispositione Sacramenta suscipiunt.

Quaest. 6. Quinam sunt effectus characteris ?

Resp. Ex Divo Thoma, Character praecipue tres habet effectus in anima. Divinus cultus, ait Divus Thomas, consistit vel in recipiendo aliqua Divina, vel in tradendo aliis ; ad utrumque autem horum requiritur quaedam potentia : nam ad tradendum aliquid aliis, requiritur quaedam potentia activa : ad recipiendum autem requiritur potentia passiva : & ideo character importat quamdam potentiam spiritualem ordinatam ad ea quae sunt Divini cultus : Et ideo primus effectus characteris est quaedam potentia spiritualis, ordinata ad ea quae sunt Divini cultus : & haec potentia est aut activa aut passiva : passiva in Sacramento Baptismi, qua homo fit capax ad alia Sacramenta recipienda : activa vero in Sacramentis Confirmationis & Ordinis, quoniam quidem per confirmationem, homo fit idoneus ad profitendam fidem, per Ordinem vero ad conferenda aliis Sacramenta.

D. Tho. 3. p. q. 63. art. 2. in corp.

Secundus effectus characteris, ut tradit idem Doctor, est character Christi. Manifestum est, ait Divus Thomas, quod character Sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quaedam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivata. Unde qui per Sacramenta characterem recipit, Christo fit similior, quam is qui non recipit.

D. Tho. ibid; a. 3. in corp.

Tertium autem effectum sic explicat Divus

D. Tho. ibid.
art. 3. ad 3.

Thomas : Dicendum quòd caractere distinguitur aliquis ab alio per comparisonem ad aliquem finem in quem ordinatur qui caracterem accepit : Sicut dictum est de caractere militari , quo in ordine ad pugnam distinguitur miles Regis à milite hostis. Et ita caracter distinguit fideles Christi à mancipiis diaboli. Propter hæc tria caracter varia fortitur nomina ; quia enim nos aptos reddit ad suscipienda vel dispensanda sacramenta seu ad peculiariora quædam Christianæ Religionis Officia Deo consecrat, dicitur hominis consecratio, sanctificatio, & ad Dei cultum dedicatio ; quia autem nos Christo Domino speciali ratione configurat, dicitur potestas recipiendi, vel dandi sacramenta & sacra ; quia denique unum hominem ab altero, v. g. baptizatum à non baptizato, confirmatum à non confirmato, Sacerdotem denique à Laïco secernit, sigillum à sanctis Patribus appellatur.

Quæst. 7. Sacramenta conferunt-ne gratiam ?

Decret. Eug.
IV. in Con-
cil. Floreat.

Resp. Ut habetur in Decreto Concilii Florentini, Septem sunt sacramenta nova legis, quæ multum ab antiquis differunt ; illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per Passionem Christi dandam figurabant : Hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.

Concil. Trid.
sess. 7. Can.
6.

si quis dixerit, inquit Concilium Tridentinum, sacramenta nova legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantùm externa sint accepta per fidem gratiæ vel iustitiæ, & nota quadam Christiana professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.